


I^c

L

zi



2288.
Ie 281.

Acc. 217/05

Kitt.

828

3362

DECLA=

MATIO FVNEBRIS IN OBI

sum magnanimi & excellentissimi

Principis Richardi, Archiepi

scopi Treuerensis, Bar-

tholomæo Lato-

mo Arlunē

si auto

re.

(*)

Addita sunt scholia in margine, quibus lo-
ei principales & schemata indicantur.

COLONIAE APVD IOAN

nem Gymnicum ANNO

M. D. XXXI.



ORNATIS

SIMO VIRO IOANNI LVDO-
uico ab Hagen, Archidiacono Ecclesię
Treueren. Tit. S. Castoris in Car
dona, domino & meccenati
suo colendis. Bartholo-
mæus Latomus Arlu-
nensis. S. D.

NON te clam est, patrone colēdissime, qua
occasione ad scribēdam hanc orationem
his proximis diebus adductus sim: tū quo
studio & contentione plariorq; nostrates à me co-
piam eius efflagitauerint. Sed cum me tibi inprī-
mis ea in re gratificaturū sperarem, dubitādum
non censui, quin eam prelo excudendam trade-
rem. Non sanē q; dignam luce arbitrarer hoc tā
erudito seculo, & inter tantā nasutorū procacita-
tem: sed ut morē gererem eorū uoluntati, q; stu-
dio quodā & desiderio affecti erga optimū prin-
cipem, cognatum tuum, hanc operam à me pro-
pe iure suo exegerunt. Cæterum æditionem eius
nuncupaturus erā principi nostro, uiro præclaro
et excellenti, qui nuper tanto cōsensu non populi
solum Treuerensis, sed externorum etiam princi-
pum studio in locum propinqui tui euectus est,
ut eo successore iactura defuncti haud dubie cō-
pēsata esse uideat. Sed cum exilius esset hoc opus
quam ut iustā nominis illius cōmemorationem
preferre posset, distuli in aliud tempus officij mei
occasio

EPISTOLA

occasionem, & te patronū domesticæ laudis nun-
 cupare malui, qui haud dubie & meam sedulita-
 tem boni consulturus es, et, qualiscunq; estimatio
 apud cæteros extiterit, hanc styli exercitationē
 non improbaturus. Accipies igitur à me hoc ar-
 gumentum animi ac studij erga te mei, & cum le-
 geris ista quæ in laudem gentis ac familię tuæ at-
 tributa sunt, confixus desiderio amantissimi pa-
 troni ac bñfactoris tui, Latomi q̄q; absentis recor-
 dabere. Ego certe hoc iter ingressus, qd ad meā
 utilitatem susceptum est, postquā diuulsus sum
 à te & tuorum contubernio, nihil magis cupio
 quam in mutua beneuolentia ac mēoria tua
 conuiescere. Cæterum gratiam habeo uobis,
 & tibi imprimis, pro singulari tua in me libera-
 litate ac beneficentia: Deinde cæteris Treueris
 meis, qui me omni officio ac benignitate prose-
 cuti sunt. Vnius hominis inuidiam, ac maleuo-
 lentiam in me singularem dissimulare non pos-
 sum. Quem, si uiuo, pro suis in me meritis suo
 tempore ita depinxero, ut sciat sibi non cum mu-
 lierculis & imperito sacerdote rem esse (tametsi
 ex ea caussa iam pridē pulchre nobilitat^o sit) sed
 cum eo, q̄ ut patronorū & optimi cuiusq; est stu-
 diosissimus, ita acerrimus in eos, qui morbo ani-
 mi indulgere, quā alieni iuris atq; innocentia; ra-
 tionem habere maluerunt. Describam cum uo-
 bis, si quid possum mediocri ingenio, ut notior fu-
 turus sit, quā hactenus fuit apud doctos & eru-
 ditos homines. Detraham illi falsam personam,
 sub qua latuit, & re ipsa cōmonstrabo, nō eū esse,

EPISTOLA

q̄ (ut uideri affectauit) sanis studijs ac literis me-
 lioribus consultum uelit: sed qui omni conatu &
 libidine obiecerit se meis cōmodis, ex quib⁹ solis
 in deplorato Gymnasio spes aliqua futura erat:
 tum qui omni contentione & acerbitate studia
 mea ita impugnauerit, ut ea calumniari nō sit ue-
 ritus, quæ ab optimo & doctissimo quoq; tanquã
 electa & frugifera ad primæ ætatis institutionē
 uno ore confirmantur. Sed ualeat ille pro suis me-
 ritis, & si sapit tandem mores illos deponat: nec
 regnum putet se possidere apud uos tãtos uiros.
 Ego, patrone colendissime, me hac in re ita tibi
 ac cæteris præclaris uiris excusatum haberi ue-

lim. ut ne quid temere in illum aut falso di-
 cturus sim, sed quorum tu ipse mihi
 cum multis egregijs hominib⁹
 certissimū testimonium
 perlibere possitis.

Vale.

Ex itinere in Galliam, quarto calendas

Iulij 1531.

Hæc oratio dicta non fuit, sed scripta ab au-
 tore, & declamatio appellata.

DECLA-

MATIO FVNEBRIS IN OBITVM

optimi ac magnanimi Principis Richardi,
Archiepiscopi Treuerensis, ad successo-
rem & proceres ditionis, Treueri in
maiori templo, Barthlomæo La-
tomo Arlunensi autore.

VIX multis hinc annis ulli exequia-
rum officio tã iuste interfuistis prin-
ceps Colendis. uiri nobiles, religio-
si, ac multis præclaris nominib⁹ emi-
nentes, quam quo hodierno die eius uiri mortem
religiosa apud deum cõmendatione prosequimi-
ni, qui nisi præfuisset aliqñ huic sedi, nõ staret hæc
forassis, quo tenetis loco, respub. nec uos in obe-
urdis salutaribus ceremonijs, quas instituerunt
maiores nostri, nunc saluis tectis ac fortunis ue-
stris, tanto ocio & tranquillitate frueremini.
Itaq; non immerito grauis nobis et acerba mors
illius uisa est, periculosissimis temporib⁹, quibus
præter expectationẽ tanto præsidio orbati sum⁹,
ut nisi dii immortales optatissimo successore oc-
currissent nostro incommodo, haud dubie in ma-
gnis et difficillimis periculis iãdudũ uersaremur.
Sed ualemus adhuc cęlesti beneficio, & quod diu

Exordij
à beneuo-
lencia, que
ducitur ab
officio au-
ditorũ &
meritis de-
functi.

tius

BARTHOLO. LATOMI

tius ualitura sumus, tum illi debebimus, cui iā pri-
 dem magno consensu & studio hæc sedes cōmis-
 sa est: tum non minimam partem illi feremus ac-
 ceptā, qui studio singulari ac fide huic dioecesi to-
 tis uiginti fere annis ita præfuit, ut nō mō quoad
 uixit ipse incolumē præstiterit, sed magna cōten-
 tione & labore, q̄s manu & armis tutat⁹ est opes
 eò p̄uexit, ut post mortē etiā ipsius stabiles & in-
 concussæ sint permansuræ. Qua quidem de re
 pauca in præsentiaꝝ dicturus, ut tempus ipsum
 hortatur pro solenni officio, ita ego cui hæc pro-
 uincia utcunq; demandata est, uereor ne uerbis
 consequi queam, uel quantum satis sit illius spe-
 ciosissimæ recordationi, pro hoc loco & tempo-
 re, uel quantum suffecerit ad satisfaciendum ue-
 stræ honestissimæ expectationi. Quis enim me-
 diocri facundia præditus, excellentissimi uiri lau-
 des apud prudētissimos homines satis digna ora-
 tione prosequatur? aut quis animis eorum qua-
 cunq; commendatione satisfacturum speret, qui
 bus cū uita illi⁹ semper charissima fuerit, ut mul-
 ta dixeris, non plura tamen de illo uidentur esse
 dicenda. Sed me confirmat cōspectus uester mul-
 to ornatissimus, uiri humaniss. qui haud dubie
 hac in re meā sedulitatē boni consulturi estis: ut
 cum optimi simul ac laudatissimi principis uitā
cum

Correctio

DECLAMATIO. FVNE.

cum uestra salute & incolumitate cōparaueritis, dubitandum non sit, quin quālibet cōmemoratio nem nominis eius libēter & studiosissime sitis au dituri. Atq; ego quidem, quò hac in re temporis huius simul & aurium uestrarum compendiū fa- ciam, ita tēperabo institutā orationem, ut ea quæ haud multū ad rem facere uidebunt, prætermi- ram: nec nimis longe ducā orationis initiū. Quid eñ attinet de ortu & honestissima familia clarif- simi uiri, quæ oībus uobis nota ē, plura dicere? in quā tñ ipse principalē dignitatē tanto splendore primus intulit, ut multo reddiderit quā acceperit à parentibus illustriorē. Quid de prima ætate & adolescētia studijs? honestis quæ illis ac liberalif- simis, nēpe ex quibus tanta uiri nobis præcreata sit. Sed quia parū implent illa grauiorū operū prædi- cationē, & remotiora sunt à nostro instituto, quā ut singula consecrari laboremus, ea duntaxat & quidem insigniora proferemus, in quibus uirtus eius præclara tum pace tum bello enituit: & quo- rum tam insignem existimationē secum tulit ad superos, ut memoria eius apud hunc populū eter- na sit futura. Ac mea quidem sententia, inter mul- tas & præclaras eius uirtutes, quæ cum nostra utilitate coniunctæ sunt, uel illud longe maxi- mum ac singulari attentione recolendū esse uideat,

Promissio
breuitatis,
ad attentio-
nem.

Præteritio

Prima
laus à for-
titudie ac
fide erga
suos, qua
iniuriā de-
pulsit, et pa-
cem armis
tutat^o est.

A 4 quod

BARTHOLO. LATOMI

quod cū magno studio & consensu uestro ad hęc sedem promot⁹ fuerit, tāta fide & charitate eam perpetuo sit complexus, ut nullis obiectis difficultatibus, quamuis multa & periculosissima ceramina ingruerint, de dignitate tamen eius, & incolumitate unq̄ desperauerit. Quā enim dimicationem non suscepit pro hac repub. aut quod discrimen non adijt: nō litis modo ac disceptatiōis, sed armorum etiam & bellicę conflictationis: ut quāuis natura & consuetudine abhorreret ab omni cōtentione, quę iuris non esset, potius tamē quam contra iniuriā & uim inimicorū suos ullo tēpore desertos atq; oppressos esse pateret, nullam acerbitatem fortunę unquā deprecatus sit, nullam periculi atq; laboris aleam experiri recusauerit. Nam ut inde incipiā potissimum, quod ut honoris, ita inquietis eius initium fuit, uigesimus opinor annus nunc est, quo electus in principem, atq; arę impositus, eodē die q̄ principatū inijt, tu multu q̄q; exceptus est: cū uir nobilissimus simul ac potētissimus, huius ditionis primas, arma sumpserrat ad occupandos huius sedis fines, qbus nisi consilio & moderatione singulari hic noster prudentissimus potius q̄ armis occurrisset, non sine magno incommodo utriusq; partis id certamen fuisset discussum. Quid? quod breui post tempore

re

DECLAMATIO FVNE.

re bellum subsecutū est, imminens medijs finibus huius diridis, & propter uicinitatem haud quaquam contēnendū: quo uir acerrimus ac bellicosissimus idemque Comes haud obscuri nominis infestis armis in nos ita incurrit, ut nisi defensor nobis ac propugnator is contigisset, qui non sua modo cauere pericula, sed potentissimorum etiā principū similitates cōponere didicisset, haud temere uim illius atque impetū sine magno incōmodo nostro sustentari uideremur. Quanquā illa adhuc sanē tolerabilia fuere, nec admodū magno transmissa discrimine. Illud quis satis idonea oratione commemoret, quod longo interuallo postea concitatum est: atrox atque exitiabile huic ecclesiæ, si quoceptum fuerat consilio, perfectum fuisset: si non deus Opt. Maximus diuorumque immortalium numen, quorum sacra in hac religiosissima eade colimus, hoc duce & protectore uim eius depulissent à nostris capitibus: si à mēibus & tectis huius urbis, à sacris et delubris antiquissimis, arma eius non arcuissent modo, sed pœnas etiam debitas exegissent ab eo, qui cum nulla iusta & probabili causa arma sumpsisset ad euertendam hanc sedem, prius hęsit in ijs pœnis deorum immortalium uoluntate, quę iniustas à nobis extorquere cogitauerat. Vera narrare possum de hoc tpe, uiri ornatissimi, ipse

Præparatio ad attentionem.

BARTHO. LATOMI

Interfui uobiscum plurimis, non ignorauī publi-
cum discrimen, hostilem exercitum & tela immi-
nentia huic urbi, uestris tectis, hīscē templi parie-
ribus uidi, armis cinctus fui in uestro agmine, ob-
seruauī principem, in quo uno tunc spes erat, no-
taui quę gerebantur singula, & immortalitati po-
stea, pro meo ingenio ac sedulitate, consecraui.
Nunq̄ factio audatior nec periculosior dimica-
tio à quoquā nostra ætate uisa est, sed ne audita
quidem. Ingens nobilium & bellicosissimorū ho-
minum manus cōspirauerat aduersus hanc sedē,
eo duce & autore, qui nulli nō potētissimo prin-
cipi, & opulentissimis imperij ciuitatibus formi-
dabilis erat: qui tanta spe incitabatur ad hoc bel-
lum, ut prædam eius iam animo occupatam ac
destinatam uictorię inter suos distribuerit: tanta
confidentia ferebatur, ut fretus opum suarum ui-
ribus, quas undiq; cōtraxerat ex inimicissimis no-
stris, inuictum se fore cōtra hunc populum, & ur-
bis huius ac principatus euerforē haud dubie fu-
rurum breui tempore confirmaret. Itaq; non ob-
scure præ se ferens hanc cogitationē, subito & im-
prouiso exercitu, dissimulato quē peteret, nullo
more nec iure belli obseruato, nō repetitis rebus,
non bello indicto, quod à maioribus nostris usur-
patū, inter barbaros etiā fieri solet, ne quid spacij
esset

Id bellum
carnie he-
roico con-
scriptū est,
cuius ini-
tiū, Arma
tos cani-
mus proce-
res. etc.
Narratio
belli Fran-
ciscani in-
terpositis
amplifica-
tionibus.
Amplifica-
tio à perso-
na.
Continua-
tio narra-
tionis.

DECLATIO FVNE.

esset ad circumspectandum oppressis, armata manu fines nostros ingressus est: cūq; oppugnatum aliquandiu & tormentis deiectum cepisset oppidum, quod paulo plus decē horarum itinere hinc situm est, direptis bonis miserorum ciuium, & captiuis nostris abductis, fortissimis ac nobilissimis uiris, qui raptim illic in præsidio locati fuerant, eodem exercitu populabūdus, cedem ac uastitatem ingenti terrore, quacūq; incedebat, secum ferens, ad hanc urbem accessit, non amplius quatri duo postq̄ ad nos certum belli indicium perlatū fuerat. Atq; hic sane cum se primo inpetu speraret capturum urbem, & in potestate habiturū bona & fortunas nostras, Dij boni, quāta animi præsentia hic noster, quāto robore & consilio uir fortissimus simul ac prudentissimus ad resistendum se obiecit: quāta uirtute & conatu præstitit, ut nequos in suam fidem aliquando & tutelā recepisset contra uim inimicorum unq̄ indefensos esse pateretur. Equidem meo iudicio actum erat illo die de hac repub. hæc ciuitas uetustissima cū splēdidissimo principatu eadem ruina concidisset, nisi ille adfuisset tam incertis rebus nostris: nisi tanta uirtute & cōsilio obijcere caput suum pro hac sede & nostra incolumitate paratus fuisset. Iacebant nostra consilia circumuenta tam subito & inexpectantia.

Oppidum
S. Vandalini in Treueris.

Amplificatio à periculi magnitudine.

Distributio explanans antegressam sententiā.

BARTO. LATO.

Continua
tio narra-
tionis.

Pulchra di-
stinctio ad
vehemen-
tiam & or-
natum.

Exclama-
tio amplifi-
catoria a
discrimi-
nis magni-
tudine.

inexpectato discrimine, ciuiū arma iam pridem
ocio diuturno & quiete elanguerant. Vix trecēti
equites intra muros erant, quos ex stipendijs cō-
traxerat subita trepidatio: Quibus fretus uir
cordatissimus, cum hostis iam tormentis muros
quateret, & quanta ui potuit, urgentissime insta-
ret, confirmata reliqua multitudine, ipse statio-
nes disponere, partiri onera, affari populum,
militem hortari, consultare cum belli ducibus,
cum senatu, ac per omnia boni principis pari-
ter ac strēnui imperatoris partes obire. Quibus
sanè rebus effectum est, ut nostris haud segniter
propugnātibus, cum ciuibus quoq; iam animus
redditus esset, hostis intra paucos dies frustra
tentato aditu, & omni pactionis sollicitatione à
nobis obstinate reiecta, turpiter decedere coact^{us}
sit, nullo ex nostris ciuibus ac propugnatoribus
desiderato, ac ne læso quidem: cum interim com-
plures ex diuersa parte cecidissent, & cōtra nos
tormentis grauibus non muris tantum instetis-
set hostilis exercitus, sed acrioribus bombardis
undiq; ex editis locis incessens, tecta ac focos ue-
xasset ciuium, & in medio usq; foro diuersantes
homines infestis telis perstrinxisset. Non credo
sine magna uirtute & diuino quodam consilio
hoc tantum periculum fuisse discussum. Profe-
fecto

FVNE. DECLA.

Et o dii immortales singulari prouidentia, hunc tantum uirum nasci, & in eum dignitatis locum peruenire uoluerunt, ut esset qui periculosissimis rerum temporibus hanc sedem, & delubra uetustissima huius urbis forti & constanti animo tueretur: qui non commoueretur obiectis periculis: non spem alibi certio rem, quam in deo poneret, sed prudentia & consilio & omni uirtutis genere depugnaret contra iniuriam fortunæ: & cum iuris disceptatione non posset, labore saltem & periculo libertatem suorum tueretur. Itaque uix semestri spacio interiecto eisdem dijs autoribus, quibus à capitibus nostris tantum periculum depulerat, progressus cum exercitu in hostium fines, adiunctis auxilijs duorum principum quos iam ante ueluti præscius futurorum temporum saluari fœdere sibi coniunxerat, arces ualidissimas deiecit munitissimis locis, cepit ducẽ ipsum, atque intra penates suos deiectum uidit: cum scilicet qui prior arma intulerat, qui simili iniuria tuerat illustrissimum Hessorum principem quã uis puerum adhuc, & sub nutricum cura agentẽ: qui duas opulentissimas ciuitates imperij ui & ferro coegerat pecuniam sibi pendere quantam ipse nuncupare & exigere uoluisset: qui manus uiolentas, ne dicam impias, à delubris deorum

Narratio.

Attẽde crebra repetitionẽ cum frequentatione criminum ad uehementiam orationis.

immor

BARTO. LATO.

Resum-
prio.

Compara-
tio.

Claudit
hūc locum
& ad alia
transit.

Laus à
prudētia
rerū gerē-
darū, & cō-
silio. Et est
schema p-
teritionis.

immortalium parum abstinuerat, sed igni & ferro digrediens ab hac urbe uetustissimū monasterion extra muros huius ciuitatis uiolauerat. Eius, inquam, non dico extincti (neque enim clementissimus princeps hoc unquā desiderauit) sed puniti potius, & damno suo ab iniuria reuocari gloriam, dii immortales coniunctam cum nostra salute, cum sacrorum suorum & huius sedis incolumitate sociatam, penes hunc tantum uirum esse uoluerunt: ut ille tanquā alter Machabæus de populo & templo domini, sic iste de conseruatis ac defensis uetustissimæ urbis huius religionibus inter cæteros triumpharet antistites, & perpetua hominum memoria apud posteros ex pulcherrimis factis suis celebraretur. Atque his quidem tantis periculis fides eius erga nos & singularis uirtus perspecta fuit. Quod si commemorare pergā ea, quæ ab illo turbulentissimo seculo tum foris & in concilio imperij, tum domi & apud suos, uel consulta prudenter uel commode ac sollerter prouisa sunt, dici citius quam orationis finem inuenero. Illud ex magnis & grauissimis hominibus audire memini, sæpe in arduis & difficilimis negocijs exploratum eius iudicij acumen, perspectam consilij prudentiam, sententiæ grauitatem. Ex quibus uel illud nemini ob-

FVNE. DECLAR.

ni obscurum esse potest, quantas & quam perniciosas contentiones sæpe inter magnos & præclaros homines sedauerit, sustulerit causas imminentium bellorum, potentissimorum principum exercitus, in acie ipsa atq; adeo in procinctu stantes sola æquitate & moderatione consilij diremerit. Vnde illum non immerito tanta benevolentia apud multos, autoritas apud omnes consecuta est, ut patris ac patroni loco, inter æquales etiã principes coleretur, nec quicquid serio ab illis unquam uoluerit, quod non magno bono & comodo huius ecclesie sit impetratum. Quid? quod Romanus Pontifex appellatum ultro per epistolas & magnifice laudatum, quod de tuenda hac sede minime desperasset infidissimis temporibus: quod pacandis Germanie moribus & puniendis factiosis operam strenue nauasset: quodq; sedulo permansisset in officio erga Romanam ecclesiam, cohortatus ad præclarissimarum uirtutum exercitationem insignibus beneficijs ac priuilegijs decentissime honorauit? Quid Casarea maiestas? nonne hunc præ cæteris magnis & clarissimis uiris tantam existimationem semper complexa est, ut non obscure sæpe nominauerit inter præstantissimos uiros, & in consultandis negocijs imperij, cum hic forte per ualeitudinem adesse non posset, presentiam tamen eius unice desiderare uideretur?

Cõpositus
tumultus
superiori
anno int
mogutinũ
& Hessob
principẽ.

Laus ab
autoritate
& existima
tione.

BARTO. LATO.

wideretur? Eandem existimatiōem apud auum
 huius Diuum Maximilianum non minori auto-
 ritate obtinuerat, qui partim loci opportunitate
 adductus, partim (ut creditur) favore huius & gr̃a
 inuitatus conuentū imperialem in hac urbe bis
 habuit. In quorū priori, præter multa, quæ hic
 salubriter acta sunt, id quoq; de priuato consilio
 effectum est, ut sacrosancta uestis Iesu Christi
 seruatoris nostri, quæ plus trecentis annis immo-
 ta iacuerat, plus mille & centum annis conserua-
 ta in hac sacratissima æde lucem non uiderat,
 tunc aliquando cælesti auspicio, quod nulli ante
 hunc licuit, in lucem & conspectum nostrum pro-
 ferretur. Quo sanè factò tantus honos cum mul-
 torum pietate ac religione accessit huic ecclesie,
 ut nomen eius, quod ante fuit celebre apud exte-
 ras gentes, nunc multo sit celeberrimum: & cum
 septimo quoq; anno tantum monumentum re-
 demptionis nostræ oculis uisentium exhibeatur,
 fit ut magno & efficacissimo pietatis instrumen-
 to ad recolendam diuini erga nos beneficii ma-
 gnitudinem, pronis et affectis animis incitemur.
 Quod equidem siue pietati illius ac meritis tri-
 buendum sit, siue felicitati cuidam adscribendum,
 non admodum controuertero. Illud memora-
 bile omnino atq; imprimis æstimandum esse ui-
 detur

Amplifica-
 tio à conse-
 quentibus.

Expeditio.

DECLAMATIO FVNE.

uideatur, quòd cum ea res ante à multis non sine
 noxa tentata sit, nec ulli superiorum præfulum
 fas fuerit mouere tam uetusta sacra, huic autem
 concessum atque honori eius datum fuisse, dubi-
 tandum non sit, quin diuino quodam consilio id
 factum, & ad insignem huius gloriam reserua-
 tum esse uideatur. Itaque non ingratus ille diui-
 ni beneficii, quem potuit unà cum religiosissimo
 Capitulo huius ecclesiæ honorem habuit tantæ
 prærogatiuæ. Accitis enim è sacrosancta sede
 apostolica amplissimis diplomatis gratiam de-
 corauit tanti muneris. Tum uero ceremoniæ in-
 stauratæ sunt huius templi: & ordo sacerdotum
 auctus ac digestus est in obeūdis sacrorum mini-
 sterijs. Quæ cuncta cum ductu eius & auspicio
 facta sint, tam solennis ceremonia in hac reli-
 giosissima eade quotidie cernitur, ut cum ante pro-
 pter inopiam & infrequentiam collegij segenior
 fuerit sacrorum administratio, nunc cum maxi-
 mis & celeberrimis ecclesijs hæc nostra certare
 uideatur. Sed communia ferè sunt hæc religio-
 sorum hominum, & propria Episcoporum laus
 est, ut religioni prouehendæ studeant. Illud ra-
 rius omnino, nec nisi magnis & egregijs inge-
 nijs concessum est, ut qui in tanto dignitatis
 gradu constituti sunt, & hanc quietam pietatis
 B curâ,

*Per occasi-
 onem re-
 ptæ uestis
 dominicæ
 transit ad
 cultum re-
 ligionis.*

*Correctio
 qua tran-
 sit ad cui-
 lū reue ad
 ministra-
 tionem.*

BARTHOLO. LATOMI

curam, & illam ciuiliū negociorum turbulen-
tam administrationem pari iugo cōplectantur.
In qua quidem re qui excelluerint, adhuc pauci
inuenti sunt. Hunc certe excellentissimū uirū
tanta felicitate utriusq; prouinciæ laudem ade-
ptum fuisse constat, ut si diuinæ rei cultum spe-
ctes, cum religiosissimis: sin externarum rerum
industriam, cum prudentissimis merito fuerit cō-
parandus. Et quidem de animi eius præstantia
& fide in depellendis suorum periculis: tum de
prudentia & autoritate singulari, quantum suc-
currit pro tempore, satis commemoratum esse ar-
bitror. De priuata autem, & interiori eius uita:
& quibus artibus hanc sedem, quam exhaustam
penè ære alieno, & impeditam grauissimis oppi-
gnerationibus acceperat, non modo administra-
rit egregie, sed liberatam ingenti onere pensio-
num penè reduxit ad pristinas facultates: ue-
reor, si persequi pergā, ne forte immodicus ui-
dear in consecrandis optimi principis laudib⁹: &
parum cauere inuidiam illustrissimorum princi-
pum, quibus ante hunc ut pari in gradu locatis,
ita non pari felicitate fortassis successus pro indu-
stria & conatu responderunt. Nam quid de ui-
ctu & continentia illius singulari, quid de fide &
charitate in suos, erga omnes facilitate, de mode-
ratione

**Cōmemo-
rat partes
ciuilis ad-
ministra-
tiōis, ut ad
reliqua per-
gat, & fa-
cit doctilē
auditorē.**

Præteritio

DECLAMATIO FVNE.

ratione animi, de equitate et iusticia, dictorum fa-
 ctorumq; constantia hic plura commemorem.
 Illud potius repetendū mihi & omni contentio-
 ne frequentandum esse arbitror: hanc sedem im-
 plicitam fuisse ingentibus difficultatibus, nisi hūc
 uindicem aliquando nacta fuisset: dilapsam ino-
 pia, & rerum dissipatarum alienatione, nisi ille
 præfuisse aliquando, qui magnis & exquisitis ra-
 tionibus, labore, parsimonia, frugalitate, rerum
 administrandarum scientia & dexteritate ad ne-
 cessarias opes, & rerum tuendarum facultates
 reuocasset. Nihil unq̄ quod ad uictum libera-
 lem, quod ad copiam rei familiaris, ad cultum mi-
 nisteriorum, ad principalis nominis splendorem
 & dignitatē pertineret, desideratū est in hac au-
 la: nihil maligne præbitū in usus honestos ac ne-
 cessarios: nihil sordide atq; illiberaliter dispen-
 satum. Sed neque lenocinia ulla habuit ista do-
 mus, nihil nugarum in familia, nihil parum neces-
 sarij atq; inepti sumptus: sed ut ad frugalitatem
 cuncta instituta erant, ita ad liberalem & hone-
 stum usum satis comparata. Quibus equidem re-
 bus effectum est, ut cum bella grauissima gesse-
 rit, unum etiam formidabile huic dicecessi: cū ope-
 ra ingentia molitus sit, perfecere alia, alia incho-
 auerit: cum instrumentum bellicum locupletaue

Moderatio & frugalitas rei familiaris.

Occupatio.

BARTO. LATO.

rit egregio apparatu: tributo conferēdo, mittendo milite, ipse militando & sedādo tumultus Germaniæ, atque alia onera imperij sustinuerit: conuentus frequētes, electionem imperatoris, regis coronationem magno sumptu celebrauerit, præter hæc omnia tamen, decedens ex hac uita, rem tam integrē nobis ac minime pœnitēdam reliquit, ut in posterum quoq; tempus beneficio ei⁹ sit gratia superfutura. Quæ cū ita sint, nō marmoreo, sed aureo sepulchro dignus erat hic tant⁹ uir, tā bñ merit⁹ de repub. uiri ornatiss. Repetant annales superiorū temporū, maximi ac præclarissimi antistites huius ecclesiæ proferantur: non Baldeuinis neq; Cunonibus ceder hic patriæ instaurator, uindex urbis huius, uestroq; capitum ac deorum immortalium propugnator. Quis ergo dubitat quin præmia illi certissima apud superos constituta sint? quin Diui immortales, quorum hanc sedem uetustissimā magno capitis sui periculo & uirtute prope diuina tutatus est, gratiam illi nūc referant in cælesti patria: quem emigrārem ex hac uita, & in cælum subuolantem haud dubie Deo Opt. Max. studiosissime commendauerunt.

Cōclusio.

Apostrophic.

Equidem tu clauiger æthereæ domus & apostolici cetus princeps, qui primus nunciū salutis & Euangelicæ uiritalis doctrinā per sanctiss.

DECLAMATIO. FVNE.

Etissimos discipulos tuos in hanc sacrosanctam
 urbē immisisti, tu inq̄ dux & propugnator huius
 sedis, ecclesiæ uetustissimæ illustrator, meritis &
 commendatione tua apud deum fidelissimo lega-
 tionis tuæ successor adfuisti: tu cælesti beneficio
 prosperasti conatus illius, mentem & cogitatio-
 nes pulcherrimarum uirtutū copia, instinctu sa-
 luberrimorum consiliorum imbuiisti: tibi debem⁹
 salutem & incolumitatē nostram: patrociniū tuo
 acceptam ferimus hanc, qua fruimur rerum pro-
 speritatem. Te pijs & affectis animis poscimus,
 ut ille per quem hanc sedem & populum tuū to-
 tis uiginti annis non solum prospere ac feliciter
 gubernari, sed armis etiam ac diuina uirtute con-
 tra audacissimos hostes defendi uoluisti: uti nunc
 inquam, tecum recipiat laborum suorum merce-
 dem in cælesti patria: & exemptus his uitæ peri-
 culis, nullo unq̄ tempore meritorum suorum glo-
 ria apud bonos defraudetur. Vos autē uiri Or-
 natissimi, qui idem mecum sedulo precari debe-
 tis, memoriam tanti conseruatoris uestri perpe-
 tua recordatione complectimini. Reponite ani-
 mis uestris nomen & cōmemorationem tanti ui-
 ri: benefacta & præclarissimas uirtutes eius reco-
 lite: nulla uos unquam tãta ceperit obliuio, ut eo-
 rum quæ in uos, quæ in hanc sedem, in diuorū im-

BARTHO. LATOMI

mortalium honorem ac defensionem beneficio
eius collata sunt, immemores deprehendami.
Nam ut mortem eius æquo animo feratis, tum
communis fati necessitas, tum uestra moderatio
postulare uidetur. Ille certe quem nuper consen-
sus uester cum uoto uniuersi populi, & deorum
immortalium uoluntate in hunc locum surroga-
uit, uirtute singulari ac fide præstaturus est,
ne, cum illū amiseritis, cuius opra & cōsilio
hęc sedes hæctenus inuicta stetit, aut
occasu eius & orbitate percul-
si: aut alium, qui uos pa-
ri felicitate tueat,
desiderare ui-
deamini,
(*)

DIXI.

EPITAPHIVM INCL-
sum in monumento ante
sepulchrum.

Aspice Richardi monumentum præfulis hospes,
Hic gelida cuius membra quiete cubant.
Quem merito fleuit sublatum Treuit, & alto
Vandicis ingemuit pectore fata sui.
Ille sed insanos motus, terrasq; relinquens,
Induit æthereas, quas tenet auctus, opes.
Lustra nouem totidemq; biennia duxit: at illi
Tredecimo clausit Martius orbe diem.

A. —

ESTABLISHED 1840

W. H. & C. O. B. & C.

Printed and Published by
W. H. & C. O. B. & C.
No. 10, N. W. Corner
of Broadway and
Nassau Streets,
New York.

I^cL21

